

B. M. Th. 174.  
No. 49, 29.

II h  
468

Juvet Actum DEUS  
Qvem  
De

LUDIS EQVE-  
STRIBUS,

X 1862604

*Magnifico, atq; Nobilissimo*  
Jctorum ordine in illustrissima ad  
Albim Academia approbante

SUB PRÆSIDIO  
VIRI


*Nobilis, Amplissimi, Consultissimi,*  
*atq; Excellentissimi*

DN. GOTTHOFREDI SUEVI,  
J. U. D. & P. P. celeberrimi Curia Electoralis, facul-  
tatis Juridicæ nec non scabinatus Adsefforis gravissimi  
& p. t. DECANI spectabilis Præceptoris, Hospitis,  
ac patroni mei ætatem devenerandi.

*publicè ventilandum propono*

JOHANNES à DAMBROVKA,

Eqves Silesius, A. & R.  
*In Auditorio Jctorum,*  
*ad d. Maji, hor. pom.*



WITTEBERGÆ,

Apud JOBUM WILHELMUM FINCELIUM,

ANNO clc lcc LII.

45



*[Faint handwritten text at the top right corner]*

*[Faint handwritten text at the top center]*

*[Large faint mirrored text, likely bleed-through from the reverse side]*

*[Faint mirrored text below the large bleed-through]*

*[Faint mirrored text, possibly a title or author name]*

*[Faint mirrored text]*

*[Faint mirrored text]*

*[Faint mirrored text]*

*[Faint mirrored text]*



*[Faint mirrored text, likely bleed-through]*

*[Small handwritten marks or numbers at the bottom left]*



Q. D. B. V.



Mne Reipubl. Tempus etiam circa  
Arma & eorum tractationem occupatum  
esse debere, nemo negabit. Illa siquidem  
non modò turbato rerum statui medentur,  
patriæq; lapsæ; sed & pacis Tempora tuta reddunt ad-  
modum, ac moderantur optimè. Modum tractandi  
illa, quæ dixi, arma feliciter, ut in actum produci, vi-  
ctoria obtineri sperata, & Bellum quod semper metu-  
endum, averti possit commodè, præstat Exercitatio.  
Hoc perpendentes olim veteres, maturè sibi, & in Tem-  
pore, quod rerum omnium, ut ille ait, primum, de re-  
bus utroq; Reipubl. Tempore proficuis, prospexere.  
Inter quæ non minimum sedulam armorum Exercita-  
tionem ponimus Jure. Absq; hac enim ut nulla Virtus  
præclara licet, ita nec militaris, nisi continuo expolita,  
usu splendeat, obtineri, atq; felix esse potest facile.  
Quæ de Causâ Virtutis Palæstræ, tam ad civilem Virtu-  
tis habitum comparandum, quàm generosos Animi  
motus induendos & quibus ad heroicam iri possit Vir-  
tutem, prodiere innumeræ. Testantur id Exempla  
gentium prudentissimarum plurima. Quis Græcorum  
nescius ludorum? Quis Romanorum omnis generis  
Virtutis exercendæ gratia institutorum? Quid de ger-  
manis, quibus togata pariter, ac sagata Virtus æternum  
peperit Nomen. Certè illis nunquam generosas di-  
splicuisse Exercitationes inter alia satis ostendunt, ludi,  
ut vocantur, Equestres ab Henrico Aucupe victoriis, &

triumphis gloriosissimo Imperatore, sacra. De quibus pro ingenii modulo discursum instituere praesentem dum nobis Animus. DEO Opt. Max. pro felici successu coepti, in vota vocato, rei pulcherimae & Nobilissimae initium facimus inchoantes à Nomine.

THESES. I.

Nominis enim prior habenda est ratio, licet potior sit tractatio rerum. Reinking. de R. S. & E. Lib. I. Class. I. c. I. pr. Illius siquidem cognitio, rei non raro intellectum praestat ut documentum praebet evidens pr. I. de Testamen. quae & causa fuit, cur illa nominis curiosa indagatio, non minus Juris quam Philosophis, & Philologis sit frequens, & solennis. Hoc autem in casu conjectum facere licet facile, ludum à ludendo descendere, quod vel in bonam vel malam in jure nostro accipitur partem l. 80. §. 4. ff. de furt. l. 10. ff. ad L. Aquil. nobis priori modo pro Exercitatione honesta tum Virtutis bellicae, tum recreationis licitae, venit, Ludos namque vocari nostros recte argumento est c. 1. 2. X. de Torneam. & Extravag. Johann. XXII. c. un. d. r. & illorum institutum, quod generosae Animorum Exercitationes esse debeant, non autem ferae hostium acies, ob verba à Ruxn. citata fol. 21. rubr. Unterricht/von Turnier-Zeug. ibi: Es sol auch aller sein Turnier-Zeug zugerichtet sein dem andern allen ohne Schaden/ also daß er nicht daran habe das steche/ oder schneide/ &c. Vox Equestris iidem notissima denotans scilicet id quod Equitum est proprium, seu Nobilium.

§. I. De quibus Quæritur an recte Equitibus sint accensendi. Et certe Equites Romanos medium inter patritios, & plebejos tenuisse Locum, historia nobis abundè

abundè suppeditat. Nostris tamen moribus, & quoad germanorum de Ludis hiscè institutum generalitèr accepto vocabulo, quin & Nobiles Equitum Nomine veniant, dubium non est, licet specialitèr, & accuratè loquendo Eques major sit Nobile simpliciter ita dicto. Limn. Lib. 6. c. 2. n. 2. 3. & 4.

§. 2. Ludi hi Equestres aliàs sunt Latinis, minus tamen latinè Torneamenta (in cujus vocem inquirant operosius Wehner. pract. obs. verb. Turnier pag. 632. col. 1. Lim. lib. 6. c. 5. n. 2. & seqq.) german. Ein Turnier sive rectius Ein Adliches Ritterspiel eo quod soli olim in Germania, & Italia militarint Nobiles. Lanf d. ord. eqvestr. l. 1. in fin. undè adhuc illi die Ritterschafft vocantur.

§. 3. Dicti autem sunt Ludi Equestres indè quod equis expediti fuerint, id namq; viro Nobili magis convenire credebant, quod ad nostra usq; tempora remansisse videtur, dum in lustrationibus hodiernis, bey den Musterungē/equis cōparere Solent. Knichen. d. Jur. Territor. c. 3. n. 366. Ex eo tamē concludere non licet, nullos dari ludos pedestres, seu Torneamenta pedestria, contrarium enim probant ludi à Maximil. Rege Bohemiæ Anno 1548. in honorem Ferdinandi Viennæ zu Ross/und Fuß/decem legibus instituti & habiti d. 12. Jul. solennissimo ritu, quin & ipsi ludum superiore Anno peragi vidimus pedestrem Dresdæ in festivitate Nuptiali Sereniss. Christiani- ac Mauriti Saxonix Ducum. Qui autem omnes cum potius hujus vel illius Principis quā totius Imperii dicantur, & Equestribus additi, rectè nihilominus nostros de quibus loquimur, Equestres ratione originis appellamus cum à potiori plerumq; detur denominatio rei arg. l. 1. pr. ibiq; gloss. ff. de V. O.

l. 3. ff. d. jurisd. omn. jud. Quos ita describi non incommodè posse putamus: rejectâ illâ Pontificis c. i. X. de Torneam.

## T H E S. II.

Ludi Equestres sunt solennes illæ Nobilium Germanorum Exercitationes bellicæ, & recreationes honestæ ab Imperatore Henrico institutæ.

Autorem hujus instituti Laudavimus antea Henricum cognomento Aucupem. Licet enim verisimile sit in aliis quoq; Regnis, Torneamenta in usu fuisse ut & in Germania nostra. Hæc tamen certis legibus sunt confirmata, ut nobilitas Germaniæ illis exulta aptior ad bella redderetur & victoriam sibi compararet gloriosam.

§. 1. De tempore hic mirè variant scriptores: Alii eorum cunabula ad Annum Christi 938. referunt, Magdeburgi primum habitum esse statuentes Münster. Cosm. libr. 3. de german. c. 484. alii aliter sentiunt, vid. Limn. lib. 6. c. 5. n. 12. de quo ut certi quid tanquam de antiquis temerè non statuimus; Ita nobis sufficiat, ut sciamus natales suos debere Henrico Aucupi, qui Anno Christi 920. summa rerum potitus est. Ille enim ut ferè communis opinio, Obotritis Ungaris, Vandalis, & aliis debellatis, à Proceribus Imperii eo tempore & Nobilibus in honorem Germanicæ Nobilitatis & delectationem recreationis quod magno & promptissimo Exercitu Imperatori in Acie adstitissent fortiter, Iudos, ac decursiones Equestres instituit, idq; svasu ut putatur, Magistri Philippi, qui dicto Imperatori, à secretis dum esset, sive ut nunc loquimur, Cancellarius, consilii dedisse creditur de Torneamentis sive ludis introducendis tanquam de Exercitio, quod sæpius peregrinando apud alias vidisset

vidisset gentes, Gallos imprimis, & Britannos.

§. 2. Fuit igitur Causa horum impulliva publicæ salutis studium, & remuneratio quædam laborum sine qua omnis labor ingratus, & languidus dicitur. Verba Imperat. refert. Ruxner. in præf. Des Turnier-Buchs: und gedachte ein Turnier/und frembd Ritterspiel anzurichten/ da er selbst mit einreiten/ und Turnieren wolte/ dieweil dem Adel in Hochdeutschen Landen/ und im Reich solches noch unbekand war/ aber in Gallia, und Engelland auch derselben Orthe mehrmals gelibet/ und gebraucht. Umb des willen das sie gehorsamlich erschienen waren auch so ehrlich und ritterlich an ihm/ und dem Römischen Reich gehandelt hatten.

§. 3. Habuere quidem & Germani sua certamina ante Henricum ( nè dicam de Romanorum Theatralibus, circensibus, quorum vestigia apparent in L. 12. §. equitii 4. ff. d. us: & habit. l. 122. pr. ff. d. legat. 1. l. 1. §. 2. ff. d. mun. & honor. superfedeo & Capitolinos, scilicet Augustales Votivos Triumphales &c. de quibus Liv. Dec. 1. lib. 5. c. f. ) prout testatum fecit Tacitus de morib. germ. n. 8. p. 618. quando ita ait; *Nudi Juvenes quibus id ludicrum est inter gladios, atq; infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorum, non in quatum tamen, aut mercedem, quamvis audacis lascivie pretium est voluptas spectantium.* Usq; adeo à teneris assvescere multum judicarunt iis rebus, quarum usus in futurum possit esse maximus, qui & in pace & Otio ut idem Tacitus autor est, nè torperet civitas, ultro Bella gerebant quod ingrata hisce genti fuerit quies, & facilius inter anticipia claruerint; Quam eorum Animositatem posteriores eorum admirantes, tantum abest ut à generosa illà Indole desciverint, ut etiam quo magis, magisq; ad humaniorem

niorem cultum perducti majorem Virtutis gloriam,  
induerint ut etiam ipsis exteris fatentibus, pro bellico-  
sioribus habeantur.

§ 4. Cujus non leve juvamentum attulere Exerci-  
tia eorum, quæ, ut dictum, licet multivaria habue-  
rint, talia tamen, quæ dictus Imp. solennia esse vo-  
luit, nunquam celebrarunt. Comprobant hoc inter a-  
lia & leges ejus Exercitii, quæ absque stare non pote-  
rant, ut sibi Imp. persuadebat, nec in officio Nobiles  
contineri, neque discrimen inter verè Nobiles, & qui  
Nomine saltem tales, haberi. Adhibitis igitur in con-  
siliis primoribus ludos hosce certis legum cancellis  
circumscripsit, numero duodecim, quibus aliæ acces-  
serunt constitutiones, quas videre est apud d. Ruxner:  
Goldast. Spangeb. & Limn. d. Lib. 6. c. 5. n. 14. & seqq.

### THE S. III.

Absolutis ita Nominis, & Rei definitionibus, se-  
quitur ordine divisio, quam respicere videntur omnem  
Ludi Equestres. Licet enim, ut supra evictum, etiam  
dentur pedestres. Consideramus tamen hic illos quate-  
nus in Imperio recepti, scilicet ut equis perficiuntur,  
non verò quatenus nonnunquam à Principe imperii  
peragi consueverunt. In genere autem Ludos si confide-  
ramus alii sunt liciti, alii illiciti.

§. I. Prioris generis sunt omnes Ingenii acuendi, ac  
Virtutis causa instituti, quales sunt nostri Equestres Ar-  
te solâ Viribusque ingenii ac Corporis, qui peraguntur,  
quibus accedunt Exercitia jaculatoria & alia id genus  
certamina in urbibus hoc Tempore civium Nobilium  
exercendorum gratia instituti solita, ut sunt *Turnie-  
ren/Ringrennen*. Quo & pertinent quinque illi ab Im-  
peratore *Justin. L. I. & L. fin. C. de Aleator.* suis tempori-  
bus

bus usitati monobolon, contomonobolon, Quintanum contacem sine fibula ludere Perichiten, & Hippicen. Monobolon fuit ut explicant Dd. sine conto; contomonobolon erat saltus conto suffultus *Diss. Petr. Gregor. Syntag. Juris lib. 39. n. 3. & seqq.* Quintanum contacem sine fibula, ab inventore Quinto sic dictum, *i. l. Cod. de aleat*: est ludere vibratione Quintianâ sine spiculo, ubi *Petr. Gregor. d. l. veterem* lectionem adprobans basilindam legit, quando scilicet forte deligitur unus ex pluribus ut imperet, alii ut obsequantur. Hoc genus lusus apud Pontificios adhuc circa Festum Epiphaniarum hodiè celebrari solere testatur *Andr. Rauchb. quest. jur. civ. & Saxonici 25. n. 4.* Perichten id est exerceri lucta *d. l. 1.* De quo cum non satis constet quodnam fuerit ludi genus inter interpretes, ignorare id maluimus cum *Petr. Gregor. c. l. n. 7.* quàm incerti hæsitare. His quinque ludis ab Imperatore Justiniano traditis alii similes virtutis, & Ingenii acuendi gratia ut susciperentur adjecti putantur *Rauchb. præall. l.* Quibus accensendos esse illos, qui hodiè in Aulis Principum Nobilium exercendorum gratia instituuntur hastiludia scilicet quibus ad hastam vibrandam instruuntur, & vel ad Annuli immisionem vel ad affabrè sculpti hominis formam hastas inferunt, docet *Petr. Gregor. Syntagm. Jur. lib. 48. cap. 16. n. 25*:

Quæritur hic an ludus Scacchorum inter licitos sit referendus? Et licet sint qui negent inter quos *Petr. Gregor. d. l. Heig. part. 2. qu. 10. n. 51* quem adducit *Carpz part. 3. prax. cr. qu. 134.* moti quod plus in eo addiscendo, & peragendo temporis, cujus impendium pretiosissimum Senecæ dicitur, infumatur, quam in nobili aliquâ arte addiscenda, aut re magni momenti; illum.

amb

B

tamen



tamen ut & alios, si suis limitibus includamus ut non a-  
litèr concedatur, quàm si moderatè, habitâ ratione tem-  
poris Animi levandi gratia seriùs defatigati, instituatur.  
Hoc moderamen adhiberi voluit Seren. Electori Saxon.  
Ord. Pol. tit. 12: Vom Spiel/ 2c. Ebener massen ist  
auch nicht unbekand wie mancher durch vielfeltiges  
Spieln und Doppeln in Abfal seiner Nahrung kom-  
men/ &c. & ibi. Bretspiel / Karten und dergleichen  
sollen keinen so unter Achzehen Jahren ist / verstatet  
werden.

§. 2. Illiciti omnes putantur, qui non prædicta de  
causa instituuntur, sed ex quibus blasphemia, perjuriam,  
dilapidationes bonorum *L. fin. cap. de Aleator*: Inimici-  
tia, jurgia, cædes, & plurima alia nascuntur, ut est lusus  
aleæ, Tesserarum, Talorum, taxiliorum, cuborum,  
scruporum, astregalorum, chartarum, fritilli & alii  
modi sexcenti, quibus luditur ad aleam *Polyd. Vergil. d.  
invent. cap. 13.*

#### THE S. IV.

Personæ circa Ludos Equestres occupatæ, sunt in  
duplici differentia. Aliæ namq; sunt instituentes;  
Aliæ recipientes. Instituens Persona prima ac princi-  
palis est Imperator, de quo absq; crimine sacrilegii du-  
bitare fas non est. Ex cujus concessione (2.) Princi-  
pes Imperii quidam, quatuor potissimum hoc jure  
proprio in feudum ipsis datum legitur, utebantur. Ita  
enim Ruxner. p. 29. Als aber auff dem Frentag und  
Sambstag die Gäste begehrt abzuscheiden / gingen  
sie zuvor zu den Römischen Keyser / und bathen Er-  
laubniß / besonders die vier Fürsten / als die Obersten  
Hauptleute / (intelligit Conradum Palatinum, Her-  
mannum Svevum, Berchtoldum Bavarum, & Conra-  
dum

dum Franconem *Limn. d. l. n. 24.* duos tantum ponit, Palatinum Rheni, & Ducem Franconia) bathen / und begehrten darauff an die Römische Keyserliche Majestät / das Ihnen solche Turniers Freyheit möchte gegeben werden / so wollen sie und ihre Nachkommen mit andern Ihren Fürstlichen Lehen und Regalien solch Vmpt empfahen &c.

§. 1. Quâ concessione clementissima peracta quin Imp. eandem vel etiam majorem in ludis istis, ut alias indubio semper sibi retinuerit potestatem extra omnem ferè dubitationem est positum, *Myns. cent. 6. obs. 99. n. 2. & 3. Zanger. de Except. part. 2. c. 1. n. 65.*

Q. An autem præter dictos etiam aliis Principibus hoc jus ab initio sit datum? Quod equidem negant communiter omnes, rationem assignantes hanc, quod omnis Germania tum Temporis in quatuor dictas nationes primum R. A. zu Cölln ab An. 1512. §. Item sollen die vier Churfürsten / licet postea in sex & tandem in decem Circulos sit distributa. *Reink. de: R. S. & E. lib. 1. class. 3. c. 2.* Idem (2.) Jus iudicendi ludos hosce Præfectis eorum den Turnier=Vögten / oder Königen à nomiatis quatuor Principibus competiisse non tamen feudi nomine cum nullibi id reperiatur, cum absolutis certaminibus singulis novi fuerint electi. *Ruxner. fol. 26.* Und gab man den vier neuerwelten Turnier=Vögten den ersten Danck.

Deniq; & Nobiles in quatuor istis Regionibus qui immediatè hodiè Imperatori subsunt, & dicuntur, die freye Reichs=Ritterschafft, ludos celebrasse Equestres Anno Christi 1209. 1235. 1487. testatur *Ruxner. fol. 232.* Quo tamen jure, non Regalium, & ex concessione Imperatoris quod non licuit animadvertere, sed

ex Principum permiffu sunt ufi ut non leuem conjectu-  
ram facimus moti illis quæ habet, *Limn. L. 6. c. 5. n. 24.*  
*Et feqq.* Et hæc de prifcis Temporibus.

§. 2. Hodiè quibus idem juris competat non incom-  
modè quæritur? Et fane de Imp. ut nunquam hæfitare  
quis potuerit; Est enim ut dicitur Oceanus omnium  
Jurium ex quo fluunt, & ad eundem refluent omnia  
*Gilbauf. part. 1. arb. jud. c. 1. n. 1.* Ita multominus hodi-  
ernis Temporibus, quibus præfcriptionis titulo, cum  
Annis abhinc ducentis non fuerint habiti, ad Imp. Jus  
hoc reuolutum effe haud abfurdè quis opinari poffit, ni-  
fi in renouatione investituræ fuccefforibus tributum  
fuerit. Post Imperatorem fi noua aliqua conftitutione  
Imperiali fortè opus effet cui magis id juris competeret,  
quam Electoribus Imperii & fecularibus potiffimum?  
Regibus enim æquiparantur *Moller. 1. Semestr. c. 40. n. 41*  
*Heig. part. 1. q. 4. n. 51.* qui Imperii decus & columna, &  
latera. *A. B. c. ult. Et c. 24. §. 1.* palmites Imperiales, &  
columnæ, quæ facrum ædificium circumfpectæ Pru-  
dentia Pietate fufitentant, & membra corporis funt Im-  
peratoris *A. B. c. 24.* quin immò quorum Autoritas,  
Dignitasq; *Mit eines Römifchen Keyfers Gewalt /*  
*und Dohheit daher die Ihre auch fließet dermaßen*  
*verbunden / daß eine ohne die andere nicht befe-*  
*hen kan.* *Bruning. d. var. uniuers. fpecieb. 0. 19. Lit. A. ex*  
*decret. quod Cafar. d. 27. Jul. Anno 1590.*

Recipientes Personæ, five, quæ Ludorum Eqve-  
ftrium, capaces effe poffint, aut iis intereffe funt tan-  
tùm Nobiles. quorum Originem, & Definitionem ex-  
aminant multi proluxius inter quos *Limn. lib. 6. c. 1:* cum  
quo id approbamus Nobilem à nascendo dici, ut ftabi-  
lis à ftando Germanis, *Edelman / Juncker / & vocatur*

is.

is, qui Nobilitatem, sive Dignitatem illam habet vel be-  
neficio Principis, vel à Lege per gradus quibus plebejus  
erigitur legitimè *Nolden de Nobil. l. 7.* Nobilium tan-  
tùm in honorem Germanorum, quod strenuè in debel-  
landis Barbaris Imperatorem adjuverint hos ludos in-  
ductos esse patet non modò ex *Ruxm. l. sepius citat. fol. 7.*  
sed & duodecim illis Legibus, quæ singulæ ita incipiunt:  
**Alle die Rittermäßige von Adel geboren und her-  
kommen sind / &c.** Sunt autem Nobiles alii speciali  
aliquo titulo nobilitatis præfulgentes, Titulares dicti,  
ut Imperator, Rex, Dux, Princeps, Marchio, Comes  
&c. *Limn. d. c. 5. n. 43.* Alii Nobiles in specie ita dicti de  
quibus antea dictum. Omnes autem Nobiles ut regu-  
lam constituit *Limn. l. c. 5. n. 50.* ad ludos admittuntur  
Equestres, nisi specialiter reprobati inveniantur.

§. 4. Causæ reprobationis ex Legibus in confesso  
P. P. latae, sunt petendæ. Quarum

1. Est, si quis Nobilis dicat, agatvè contra Religio-  
nem, quam profitetur Christianam, & fidei Articulos,  
siquidem infamia hæreticis Jure irrogata. *l. 1. C. d. SS.*  
*Trinit.* cum quibus conversatio omnis prohibita. *l. 8.*  
§. 4. *C. de heret.* quos & recipi, patrocinium illis præbere  
sub pœnâ Infamiae prohibitum est. Author. cre-  
dentes *C. d. t. cap. 11. in f. X. d. her.* Quia autem in-  
fames ab omni honore, & militia segregandi *l. 8. §. 4.*  
*c. d. t. l. 2. c. de dignit. c. pen. d. R. J. in 6.* & merito ab ex-  
ercitiis militaribus, qualia sunt ludi Equestres arceban-  
tur, prohibentur.

2. Criminis Majestatis læsæ *Rei. Art. 2.* Quis enim  
cum imperiali gratia & privilegiis dignum judicaret qui  
in ipsum committit §. 3. *Instit. de publ. Jud.* Committi-  
tur autem Crimen læsæ Majestatis propriè in ipsum Im-

peratorem, & in hac Materia etiam in Augustam. Est enim pars Corporis immò una Caro *Eph. 5. 31.* immò clare habetur *art. 3.* Nec minus in ipsos Electores *A. B. tit. 24. Carpz. prax. crim. part. 1. qv. 41. n. 57.*

3. Arcentur à ludis injuriam quovis modo inferentes virginibus, & matrimonio honestis *d. art. 3.* Injuriarum enim condemnatus ad palinodiam tenetur, & poenam infamiae sustinet *Moller. constit. Elect. 45. c. 21. 4. part. 4. Carpz. prax. crimin. part. 2. qv. 96. n. 42. seqq. §. 2. J. d. poen. tem. litigant. l. 1. l. 4. §. ult. ff. d. bis qui not. infam.*

4. Corruptores Literarum, perjuri, & infames cogniti *art. 4.*

5. Proditores dominorum, & aciei desertores. *art. 5.*

6. Interfectores Uxorum suarum, aut dominorum, sivè etiam certaminis praefectorum: *art. 6.*

7. Sacrilegi, Pupillorum, viduarumq; oppressores, *art. 7.*

8. Latrones, & depopulatores agrorum, & vinearum. *art. 8.*

9. Autores vectigalium, ac tributorum absq; Imperatoris permisso. *art. 9.*

10. Scortatores, Mœchi, Adulteri. *art. 10.*

11. Qui sese indignos faciunt Nobilitate, mercaturam, aut alias quaestuosas Artes exercendo, quæ plebi quidem non indecora, splendori tamen illustrium minus convenientia. *art. 11.*

12. Tandem omnes prohibentur ad ludos aspirare nostros Equestres, qui genere Nobili nati non sunt, nec fidem nobilitatis suæ à quatuor avis facere possunt. *d. art. 12.* ubi poena transgredientium annectitur, nimirum amissio tituli, & insignium, quam poenam comitari debet perpetua infamia.

Arti-

Articulos refert *Limn. lib. 6. c. 15. n. 14. in fin.* Qui omnes deduci potuissent legibus, & rationibus quam plurimis; nisi instituti presentis ratio prohibuisset. Illa igitur aliis relinquentes ad modum, & rationem peragendi ludos Equestres sive Torneamenta nos accingimus.

THESES. V.  
In illustrium Exercitiorum penetralia transeuntes formam eorum reperimus eandem propemodum quæ in Comitibus observari consuevit. Occurrunt enim nobis ex legibus supradictis ponderanda.

1. Præparatoria sive actum antecedentia quæ conuocationem sive indictionem, locum, & tempus involvunt, & præstationem salvi conductus.

2. Actus ipse.

3. Consequentia.

Indictionem quod concernit de personis quibus Jus indicendi cõpetat, cum illæ in præcedendibus traditæ sint, hic agere denuo super sedemus. Hoc saltem notandum, quod ut in omni citatione, ita & in hac conuocatione publica pro forma requiratur, ut præter citantis, & citati Nomen, locus, Tempusq; designetur *l. 59. ff. de iudic. l. 21. §. pen. ff. de arbitr. Gail. 1. obs. 53.* Reprehendimus autem in arbitrio positum esse indicientis quem locum sive Tempus designare velit. Magdeburgi enim teste *Ruxnero fol. 19.* primi Iudi Equestres hyberno tempore (quod præ cæteris placuisse animadverti potest indicientibus) mense Jan. in Insula propè Albim **DAS WERDER** vocata, peracta leguntur. Alii Rotenburgi mense Octobr. alii Halæ Saxonum veris tempore celebrati, nimirum prout res cuiusq; tulit, & commoditas.

In loco, qui pari commoditatis Jure fuit æstimatus *Limn. libr. 6. c. 5. n. 31.* hospitia cuiuslibet pro Dignitatis, & con-

conditionis statu commoda assignabantur, & denomi-  
nabatur postea arena Locus cum die. Quia autem  
Imperator ex primâ Institutione ludos illos amicissi-  
mos voluit esse conventus, ut quis ab omni vi, & injuriâ  
quâcunq; tutus esse posset, publicâ securitate, sive fide  
absolutâ (quam aliâs saluum conductum, vel salvogvar-  
diam vocant *frey sicher Geleit*) opus videbatur Impe-  
ratori ad ludos proficiscētibus præsertim cum nemo in  
loco minimè tuto vel suspecto comparere sit cogendus  
*c. 4. §. mandamus X. ut lit. non contest.* Concessit igitur  
securitatem omnimodam iis, qui ludo inter sunt  
perindè, atq; ad nundinas proficiscentibus (de quorum  
privilegiis *vid. Linn. lib. 7. c. 16. n. 24.*) quâ ab omni in-  
commodo, actione, sive ex contractu illa sit, sive ex de-  
licto, arresto & alia tam aditus, quàm reditus impedi-  
mento liberos illos, & immunes pronunciavit  
constituitq; ut præter generalem illam, etiam  
à cujusq; loci domino specialis imposterum dare-  
tur fides. *Ruxner. fol. 177.* Eodem modo, & coronæ o-  
lim Athletis in certaminibus dari solitæ non poterant  
pignorari *l. 5. c. quæ res pign. dar. nec stipendiū armato-  
rum militum l. 4. ff. d. Exec. rei. jud.* quinimo nec spes  
præmiorum in sacris certaminibus *d. l. f. c. quæ res pign.  
ibiq; Gothofr.* Præterea etiam leges promulgabântur præ-  
ter superiores in dict. articulis duodecim comprehēsas.  
I. Ne quis comitatu plus justo proficisceretur ad lu-  
dos & compareret, quam sextus in eqvo si Comes; quar-  
tus si Baro, tertius si eqves, & secundus ex reliqua Nobi-  
litate quilibet. Ratio, nè liberalitas indicentis nimium  
gravaretur sumtibus, & expensis. Quâ ratione prohi-  
bitionis cessante, & ipsa prohibitio cessabit, ut proindè  
propriis sumtibus, magnificentius comparere quis licito

to

to potuerit, prout exempla nonnulla à Ruxn. de eo quod Tiguri An. Christi 1165. institutum, relata comprobant.

2. Ut nimius in vestibus luxus cohiberetur (qui omnibus retrò seculis odiosus fuit, & in Imperio nostro Romano-Germanico prohibitus *N. A. d. An. 1500. tit. von überflüßigkeit der Kleider / Reform. Pol. Francofurti d. An. 1877. tit. II. § 14.*) leges vestiariæ certæ sunt constitutæ quibus certus modus est impositus tam nimie vestium superbiæ, quam ornamentis Equorum nimium splendidis, & indecentibus scilicet ut, suum cuiq; quod convenit ordini observaretur, & indigentia quorundam qui genere quidē Nobiles, non tamē opibus florent, cōsuleretur. Legem de vestibus refert. *Limn. Lib. 6. c. 8. n. 101.*

Postremum antequam ad ipsum decertandi actum accedant, necesse est ut Arma, Galeam, quæ Nobilitatis præbent Argumentum gladiumq; offerant Torneamentorum præfectis, quibus lustrandi Negotium cum duobus aliis ex singulis Nationibus seniore uno, altero juniore datum fuit. Omnia enim ita formata esse debebant, ne cui essent nocumento, aut periculo, ut legitur in *dict. ordin. Torneam: de gladio.* Man wil kein Schwerdt zulassen / es sey dann zum meisten dritthalb / oder drey Finger breit vorn an der Spitzen / und an derselben Breite stumpff abgeschliffen / daß er daran nicht schneide oder steche. Item de reliquis Es dorffte kein Eysen oder Stahl in den Zaum / Zügel / Sattel / oder Streiff Leder sein / das da schneiden / oder stechen könnte / oder dessen zugefährlich zugebrauchen gewesen were. Quia autem fieri poterat ut præter intentionem decertantium, quis morte occumberet, siquidem Mors omnibus diebus est expectanda inevitabilis, prout Ex-

C

empla.

empla occumbentium in ludis hisce refert plurima. *Linn. Lib. 6. c. 5. n. 130. & seq.* immò nuperis diebus Exemplum tale in Annales relatam meminimus, DEO sese reconciliare, & peccata expiare, sumto prius Animæ viatico, iussi sunt.

Quibus præcedentibus die assignata omnes in campo certamini destinato comparebant tam Nobiles, quam plebeji iiq; tam principales, quam minus principales Nobiles, & ignobiles, fœminæ, aut Masculi. Hi ut vel decertent vel moderentur decursiones.

Principales Personæ sive decertaturi nomina prius apud Præfectum profiteri necesse habebant. Ita enim ab initio statutum ut apud Ludorum suum Regem, **Seines Landes Turnier Vogt** / præsentibus ad minimum tribus Heroldis, Nomē edat Matriculæ inscribendū probetq; originem, & familiam quod vel ex quatuor Nobilibus utriusq; lateris descenderit secundum *art. 12.* vel quod ad minimum parentes eorum ludis præterito Tempore aliquando interfuerint. Cujus in probatione si deficiebat, pœna in *art. 13.* cōprehensa parata manebat. **Qvæ.** Annon Imperator ex plenitudine potestatis novum hominem ita nobilitare possit, ut non obstante Ludorum Eqvestrium lege, antiquissimarum familiarum jure, & privilegiis gaudere possit atq; ita ad ludos hof. e admitti Eqvestres? **Qvod Aff. cum Excell. Dn. Præfide, Præceptore, hospite, atq; fautore magno, Collegio feudali** *Disp. Quinta l. 2* verbis ex Diplomate, quo Nobilitas confertur, citatis: **Daben Jhn in den Stand und Grad des Adels unser und des D. Römischen Reichs Recht / und Edelgeborenen Wapens und Lehns / Turniers Genossen / und Rittermäßigen Leute erhebet / darzu gewürdiget / geschöpft**

schöpffet / geadelt / &c. Allermassen und gestalt  
als ob sie von Ihren vier Ahnen Groß-Vater / und  
Mutter Geschlechts beyderseits recht Edelgebore-  
ne Lehns Turnier-Genossen / und Rittermäßige  
Leute weren. Est enim Imperator fons omnis digni-  
tatis L. 3. ff. de natal. restit. de cujus principali iudicio di-  
sputare non oportet, cum sacrilegii instar sit dubitare,  
An is dignus sit, quem elegerit Imperator Textus ex-  
pressus L. 3. Cod. de crim. sacril. Moderatorum officium  
erat, ne Leges decertandi quis supergrederetur provi-  
dere, utq; omnia fierent ordine, & modo decenti. Illi,  
ex singulis Nationibus eligebantur, die Wärtel; dicti  
quasi Rectores, & Inspectores certaminis *Webner. obs.  
pract. d. v. p. 267.* Præter quos & alii quatuor ex Nobilium  
ordine ad custodiam finium septorumvè ordinati ut  
funes, depugnandi Tempore tubis indicato, inciderent,  
& septa aperirent pugnaturis. His alii fuere adjuncti  
ut Regibus Ludorum assisterent in onere, die Gesell-  
schafft Dögt / de quibus omnibus & aliis, vñ stablern  
perservanten, Ehren- und Gesellschaft / Knechtē fu-  
sus refert *Ruxner. fol. 36.* Ex plebejis alii dicebātur Herol-  
di cujus vocis originem notat *Limn. lib. 6. c. 5. n. 122.* & e-  
rant, qui leges, & statuta ludorum ut in omnium per-  
venirent notitiā publicè recitabant, & alia peragebant.  
Eo ipso tamen dum inter Personas Principales referi-  
mus & plebejos, non hoc volumus, quasi & illis compe-  
tat facultas decertandi, sed ut eos, qui certis muneribus  
erant præfecti à reliquâ Plebejorum Turba secernamus,  
quæ spectatum admittebatur, quemadmodum & foemi-  
næ Nobiles, ut Animos, & vires decertantium excitarent  
præmiaq; offerrent victoribus, & choreas peractis ludis  
conficerent. Quibus tamen etiam ut viris ratione or-

291  
Cuiuslibet natus

natus positus est modus, in Turniervertrage / quam  
ex Goldast. refert *Limn. d. c. 5. n. 38.* addatur reformatio  
Politica de *An. 1848. tit. von Adel. & de An. 1877. eadem  
reformatione.* **THE S. VI.**

Actus decertationis ipse, quem alius metrica descri-  
ptione comprehendit: *vid. Limn. c. 5. n. 123.* breviter ita  
se habet. Conveniebant ad diem constitutum & horam,  
& postquam in Carceribus collocati, divisi, & signum  
tubis datum esset, funes incisi fuere, & Ludus initium  
cepit, ubi generosa pectora fortitudinis strenuissimæ  
ardore inflammata, ac perpete gloria, tanto conatu  
pugnarunt, tamq; fortiter, ut dici satis commodè non  
possit, quorum laudes fama ipsa, communi totius orbis  
suffragio tabulis æternitatis inscripsit: sive enim clava-  
rum certamen, quod primum, consideramus sive gladi-  
orum illud, sive hasti ludium examinemus, nil nisi he-  
roas mentes fortissimas simul ac majorum sanguine fer-  
vidas deprehendere licebat: quibus testatum orbi face-  
re laborarunt, quid aliquando ab illis patria, si ad bella  
deveniendum esset, expectare possit, sc. ut eventus do-  
cuit, neminem germanos impune bello invasurum esse,  
durarunt isti conflictus ad sesqui horam, vel duas donec  
tubis denuo resonantibus, funibusq; incisis, certamini  
cuiq; finis imponeretur. Fuere enim ut notum est, va-  
ria nobilium Exercitia de quibus Lectorem remittit,  
*Limn. d. l. n. 124.* ad partem secundam *des. Heldenbuch.*

**THE S. VII.**  
Consequenter nunc eorundem ludorum, ut subjun-  
gamus necesse est, quæ ut innumis in præmiis, & aliis  
recreationibus consistebant. Illa enim sunt incitamen-  
ta, & fomenta virtutis non levia, quibus demtis illa lan-  
gvescat oportet. Ita namq; vivitur more morum si non  
optimo certè vulgato: Ipse

*Ipsæ decor recti, facti si præmia desint*  
*Non movet, & gratis panitet esse probum.*  
Quod probè perspectum habens Imperator, hoc cum lu-  
dorum genus in germaniam introduceret, varium illi, qui  
generosâ Mēte peracto in arenâ feliciter negotio, tribui vo-  
luit honorem, & præmio honorari sat amplo. Non mino-  
rem enim duello dari voluit honorem, quàm Romani cur-  
ru triumphali inductis exhibere soliti, eò quod hoc certa-  
men propria, triumphus sæpè alienâ virtute paretur. *Johan-*  
*nes Magn. Hist. Gothor. Sveon. c. 28.* qui igitur in stadio victor  
evadebat, is domum ducebatur cum Tubicinibus, quod a-  
pud græcos summo honoris loco æstimatum fuit, *Alciat. de*  
*ceriam singul. cap. 45.* vario cantu, & alio gaudii genere, ex  
imperiali statuto. Solemni præterea ejusdem diei vespera  
convivio excipiebantur, & qui reliquis palmam fortitudinis  
præripuere, à foeminis gratiarum actiones cum ingenti  
laudum præconio audiebant, donis, seu braacis remune-  
rati splendidis, quibus peractis choreas ducebant honestas,  
& saltationes, quibus finiebantur recreationes istæ laudatæ.  
Convivium quidem licet fuerit magnificentum admodum,  
summâ tamen Virtute, sive frugalitate id temperatum fu-  
isse patet ex saluberrimæ constitutionis verbis: *Das kein*  
*Turnier-Genosß zu halben / oder gantzen austrincken*  
*solle / noch seinen Dienern oder Knechten solches zu-*  
*thun wissentlich gestatten.* *Goldast. in Reichs Handlun-*  
*gen fol. 28.* incognitum enim Imperatori esse non potuit,  
quantum sit ebrietatis vitium, quod Mater omnis mali &  
morbi, quod ex rege servum, ex sene puerum, ex sano in-  
sanum faciat *Carpe. part. 3. p. 146. n. 18.* quæ o-  
mnia à nobilibus abesse voluit longissimè. Noverat etiam,  
quid germanis exprobratum fuerit jam olim de potationi-  
bus diurnis, nocturnisq; quod germanis objici solitum.

*Tacit. de Mor. germ. num. 7. p. 617.* ut non frustra etiam posterioribus seculis immoderata illa bibendi consuetudo sub poena pecuniaria primum *R. A. de An. 1500.* & corporali sit prohibita Coloniae An. 1512. quibus accedit ordinatio Politica de An. 1530. 1548: 1577. item aliae subinde constitutiones in Imperio nostro saluberrimae *Wehn. obs. pract. verb. zu trincken p. 724.* De choreis hic non incommode quaer. An rectè in illis adhiberi sint solitae? & licet odiosae illae fuerint omni Tempore nonnullis & atro calculo notatae Rectè tamen decenti loco & Tempore, quae usurpantur quin sint licitae convivales scilicet, quales nostrae ut & aliae honestae nulli dubitamus. Sunt enim morum formatrices, recreationes, & saluberrimi corporum motus, qui juventuti maxime suadendi, hinc divus *Lutherus postill. Eccl. Tom. 2. post. epiph. Meissn. part. 1. Philosoph. sobr. sect. 2. cap. 4. qu. 2.* Chorea, ac saltationes per se inhonestas non esse, sed potius rem adiaphoram in sacris nec praecipit, nec prohibitam, quare nec simpliciter improbandas, sed ex fine, ac intentione cujusque aestimandas esse *Carpz. d. l. n. 8.* quo explicito, sequitur & nostras in ludis Equestribus recreationis erga institutas honestissimas fuisse, & licitas de quibus ita *Rux. fol. 29.*

**Demnach that ein jeder Fürst und Herr einen Tantz in guter Ordnung mit den Frauen oder Jungfrauen die ihm einen Danck gegeben hatte / und ward der Abend also mit Züchten und in Freuden zugebracht. Dona autem, & munera, quae distribuebantur in dicto convivio erant varia, quorum quinque enumerat *Limn. lib. 6. cap. 5. n. 127.***

1. Der Danck so den Turnier-Vögten gegeben.
2. Der Eltesten Danck.
3. Der Sticher Danck / das ist derer so in hohen Zeugen mit Stechen das beste gethan.

4. Der

4. Der Zier-Danck / welcher denen gegeben / welche aus den vier Landen am besten gerüstet kommen.

5. Der Danck so denen gegeben / welche dem Turnirer am weitesten besucht / &c.

Præter illa etiam erant alia, gladius deauratus, Corona gemmis ornata, catenæ Aureæ, hæc omnia & similia certaminis præmia fuere, quæ studium promeruit, Labos obtinuit, ac victoria reportavit, quibus onusti antequam domum pergerent, literas navatæ industriæ, den Turnier-Brieff / exceptis Regibus, & Principibus, à Torneamentorum præfectis petere, Nomenq; suum in catalogum, referri necesse habebant cum salvi conductus impetratione, qua recedebat quisq; securus, ac lætus. Ex quibus omnibus finis ludorum Equestrium perspicitur potest facile partim ut Nobiles exercerentur in armis, quibus cives non tantum belli, sed pacis Tempore instructos esse convenit, quod studiosè præ cæteris observasse Romanos ex Lips. & Josepho testatur *Limn. l. 6. c. 5. n. 129.* partim etiam ut Tyrannidem, & superbiam extirparent. Alias causas vide apud dictum *Limn.* illis enim in recensendis longiores ut sumus in præsentia non fert Animus, qui ad finem properamus, discussa prius quæst.

An rectè sint introducti ludi Equestres, & an hodiè sint sublatis? Prius Aff. Sunt enim in Jure nostro Civili, in quo nihil inhonesti præcipitur, ad probati *arg. l. 2. §. 1. ff. de aleat. l. 1. c. eodem.* nihil enim commercii cum cruentis spectaculis, & monomachiis vetitis habent, sancitum siquidem ab Imperatore ne in ludis hisce quisquam eqvo mordaci calcitroso, sternaciq; aut Armis, quæ lædere possent, acutis ut ex Armorum lustratione, quæ in illis usurpari solita, ut supra indicatū, observare licet. Non obstat quod sæpè cædes in illis patrentur. Fiunt enim illæ ex accidenti, & casu.

468  
su præter intentionem decertantium quod ipsis non est imputandum, nisi quis eadem ratione ferramenta, quod nocere quis illis possit, aut arborem, restimvè, tollendam esse absurdè statuere velit, aut venationem, ex quâ quandoq; Mors, sequitur ut & pugillatum. Quibus obtentis concidit Pontificia sanctio, & ejus ratio, quæ motus, ut specialiter toræamenta interdiceret adeò ut si quis in iis sit occisus, Ecclesiastica carere debeat sepultura. c. 1. X. de Tornea: nisi fortuito casu obierit, cum non Animo ludendi sed percipiendi credita venisset. c. 2. X. eod. Illa enim crudelitatem potius quàm humanitatem sapere probat Johannes Pontifex XXII. c. un. Extrav. eod, excommunicationem revocans, illosq; qui hujus occasione sententias incurrerent, absolvens. Idq; non immerito cum non quæstus, & lucri gratia instituantur, qui proindè ut in alea vitium inferrent. l. 1. vers. qui Artis ludicræ l. 2. §. f. ff. de his qui not. infam. l. 1. de postul. sed fortitudinis Nov. 69. pr. Et ibi Gotthofr. merito ergo licitos illos pronunciamus.



Ad posterius propositæ quæstionis membrum respondeamus negando. Licet enim intra centum & plures Annos non fuerint in usu & observantia, ob causas non omnibus æq; cognitæ *Limn. d. c. 5. n. 136.* illos tamen non sublato penitus esse, sed in usum revocandos svadent quàm plurimæ illorum utilitates ut & monuit rectè Princeps Imperii Reinhardus Comes à Solms. Teste *Limn. d. l. verbis hisce: Das sie wiederum b dergleichen etwas anrichten / und ordnen damit der Adel wieder in Tugend / und Adelige Werke gedrungen und gebracht werde.* Plura de hac illustri Materia videre qui desiderat, is adeat sæpius citatos Auctores *Limn. Ruxn. Et alios.* Nobis hæc ipsa sufficiunt, qui portum respicientes, dicimus

SOLI DEO GLORIAM.

VD 77







**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

